

cum non impediatur potestatem, sed actum tantum. Et similis ratio est de omnibus qui sunt aliis obligati, ut ratiociniis detenti, & huiusmodi personarum. (2)

Ad primum ergo dicendum, quod in susceptione spiritualis potestatis est aliqua obligatio ad aliqua etiam corporaliter agenda; & ideo per corporalem subjectionem impeditur.

Ad secundum dicendum, quod ex multis aliis quæ non præstant impedimentum executioni ordinum, potest aliquis occasionem humilitatis accipere; & ideo ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum, quod beatus Paulinus ex abundantia charitatis spiritu Dei actus hoc fecit; quod rei eventus probat, quia per ejus servitum multi de grege suo sunt à servitute liberati; & ideo non est ad consequentiam trahendum: quia *ubi spiritus Domini, ibi libertas*: II. Corinth. 111. 17.

Ad quartum dicendum, quod signa sacramentalia ex naturali similitudine repræsentant; mulier autem ex natura habet subjectionem, & non servus: & ideo non est simile.

Ad quintum dicendum, quod si est promotus sciente domino suo, & non reclamante, ex hoc ipso efficitur ingenuus. Si autem eo nesciente, tunc Episcopus, & ille qui præsentavit, tenentur domino in duplum quam sit pretium servi, si sciverunt ipsum esse servum: alias si servus habeat peculium, debet seipsum redimere; alioquin redigetur in servitum domini sui, non obstante quod ordinem suum exequi non potest.

## SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod omnes ordines referuntur ad sacramentum eucharistiæ, quod est sacramentum pacis nobis per sanguinem Christi effusum factæ. Et quia homicidium maxime contrariatur paci, & homicidæ magis conformantur occidentibus Christum quam ipsi Christo occisio, cui omnes ministri prædicti sacramenti debent conformari; ideo de necessitate præcepti est quod non sit homicida qui ad ordines promovetur, quamvis non sit de necessitate sacramenti.

Ad primum ergo dicendum, quod vetus lex inferebat penam sanguinis, non autem lex nova: & ideo non est simile de ministris veteris, & novæ legis, quæ est jugum suave, & onus leve.

Ad secundum dicendum, quod irregularitas non incurritur propter peccatum tantum, sed principaliter propter ineptitudinem personæ ad sacramentum eucharistiæ ministrandum: & ideo iudex, & omnes qui in causa sanguinis ei participant, sunt irregulares propter hoc quod effusio sanguinis non decet ministros dicti sacramenti.

Ad tertium dicendum, quod nullus facit nisi illud cuius causa est, quod est voluntarium in homine: & ideo ille qui ignoranter hominem occidit homicidio casuali, non dicitur homicida, nec irregularitatem incurrit; nisi dederit operam rei illicitæ, vel nisi omiserit debitam diligentiam, quia jam quodammodo efficitur voluntarium. Nec hoc est propter hoc quod culpa careat, quia etiam sine culpa incurritur irregularitas: & ideo etiam ille qui se defendendo in aliquo casu non peccat homicidium committendo, nihilominus irregularis est.

## SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod ordinati,

(2) *Addit Nicolai. Extra tit. XIX. cap. Magnus.*

in quadam dignitate præ aliis constituuntur: ideo ex quadam honestate requiruntur in eis claritas quædam, non de necessitate sacramenti, sed de necessitate præcepti, ut scilicet sint bonæ famæ, bonis moribus ornati, non publice poenitentes. Et quia obscuratur hominis claritas ex vitiosa origine, ideo etiam de illegitimo thoro nati à susceptione ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur: & tanto est difficilior dispensatio, quanto eorum origo est turpior.

Ad primum ergo dicendum, quod irregularitas non est poena iniquitati debita: & ideo patet quod illegitime nati non portant iniquitatem patris ex hoc quod irregulares sunt.

Ad secundum dicendum, quod ea quæ per actum committuntur, possunt per poenitentiam, & actum contrarium aboleri; non autem ea quæ ex natura sunt: & ideo non est simile de vitioso actu, & vitiosa origine.

## SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod, sicut ex dictis patet, aliquis efficitur ineptus ad susceptionem ordinis vel propter impedimentum actus, vel propter impedimentum claritatis personæ: & ideo patientes defectum in membris impediuntur à susceptione ordinis, si sit talis defectus qui maculam notabilem inferat, per quem obscuratur personæ claritas, ut abscessio nasi, vel periculum in executione facere possit; alias non impediuntur. Hæc autem integritas exigitur de necessitate præcepti, sed non de necessitate sacramenti.

Et per hoc patet solutio ad objecta.

## QUÆSTIO III.

Deinde quæritur de simonia: & circa hoc quærentur tria.

Primo. Quid sit.

Secundo. In quibus fiat.

Tertio. Qualiter.

## ARTICULUS I.

*Utrum definitio data de simonia sit competens.*

2. 2. quæst. c. art. 2.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod definitio de simonia data sit incompetens, scilicet: *Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Quia ex simonia aliquis efficitur irregularis. Sed pro sola voluntate nullus efficitur irregularis. Ergo simonia non consistit in sola voluntate.

2. Præterea. Illa sola peccata fiunt per studium quæ ex certa malitia committuntur. Sed simonia non semper committitur ex certa malitia; sed quandoque ex infirmitate, vel ignorantia. Ergo in diffinitione ejus *studiosum* poni non debet.

3. Præterea. Omne peccatum in electione principaliter consistit. Sed voluntas eligens non est de impossibili, ut dicitur in III. Ethic. cap. IV. vel V. Cum ergo emere spirituale sit impossibile, quia donum Dei pecunia non possidetur, ut dicitur Act. VII. in diffinitione peccati simoniæ, voluntas emendi spirituale poni non debet.

4. Præterea. Simonia à Simone Mago dicitur. Sed ille noluit vendere spiritualia, sed emere. Ergo non debet poni venditio in diffinitione simoniæ.

Præ-

5. Præterea. Omnibus temporalibus propter spiritualia uti debemus. Si ergo in emptione annexorum spiritualibus simonia consistit, omnis emptio, vel venditio simonia erit; quod falsum est.

## QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod simonia sit hæresis. Quia Gregorius in Registro (a) dicit: *Altare, decimas, & Spiritum sanctum emere, vel vendere simoniacam hæresim esse nullus fidelium ignorat.*

2. Præterea. Nullum peccatum est gravius infidelitate. Sed simonia est gravior: quia in Decretis dicitur causa 1. quæst. 11. (b) quod (1) *impia hæresis Macedonii & eorum qui circa ipsum sunt, est tolerabilior quam simonia.* Ergo simonia est hæresis.

Sed contra. Omnis hæresis est contra aliquem articulum fidei, de quo non recta opinio habetur. Sed aliquis simoniacus potest habere rectam opinionem de omnibus articulis fidei. Ergo non est hæresis.

## QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod simoniacus non perdat executionem ordinis. Quia contingit in ordinatione alicujus committi simoniam eo ignorante. Sed homicidium casuale propter hoc quod est per ignorantiam commissum, non facit irregularitatem. Ergo & similiter ille qui simoniace ordinatur.

2. Præterea. Ab eo qui non habet executionem ordinis nullus debet accipere sacramentum. Sed ab eo quem scio simoniacum, debeo ordines accipere; si mihi præcipiatur, ne inobediens sim. Ergo non amittit ordinis executionem.

3. Sed contra. Videtur quod simoniacus nec ordinem recipiat. Quia defectus intentionis evacuat sacramentum. Sed ille qui pretio aliquid intendit acquirere in susceptione ordinis, non intendit suscipere quod Ecclesia tradit, quia illud non cadit sub pretio. Ergo non suscipit ordinem.

## SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod materia moralium virtutum dividitur in passiones, & actiones, ut in III. Lib. distinct. XXXII. dictum est. Sicut autem in passionibus potest esse peccatum ex eo quod est circa quod non oportet, vel quantum, vel quomodo, & sic de aliis circumstantiis, ita & in actionibus: unde in emptione, & venditione, quæ sunt quædam actiones, potest esse peccatum vel in quid, vel in quantum. Si in quantum, sic est iniustitia; sicut cum quis emit, aut vendit non justo pretio: si autem in quid, ut cum vendit, aut emit quod non cadit sub pretio, sic est peccatum simoniaci. Et quia omne peccatum in actu voluntatis consistit, ideo in diffinitione simoniæ hæc tria prædicta ponuntur: & primo actus voluntatis in hoc quod dicit: *Studiosa voluntas*; secundo materia proxima huius peccati, scilicet emptio, & venditio, ibi: *Emendi, vel vendendi*; tertio materia remota, scilicet objectum actionis prædictæ, ibi: *Spirituale, aut spirituali annexum.*

Ad primum ergo dicendum, quod homines iudicantur in IV. Sent. Tom. V.

(1) Nicolai ipsa.

(2) Ex Edit. P. Nicol. Sive potius Gregorius VII. Lib. VI. ut cap. *Presbyter* causa 1. notat appendix. (b) Ex Tarasii ad Adrianum Papam epistola desumptum est cap. *Eos*. (c) Nimirum Lib. IX. Epist. indict. IV. epist. LIII. Theodorico Regi Francorum scripta, ex qua refertur in Decretis cap. *Cum omnis* causa 1. quæst. 1.

cant ea quæ foris parent, sed Deus intuetur cor, ut dicitur I. Reg. XVI. & ideo in simonia, & in omnibus aliis peccatis ex sola voluntate efficitur aliquis peccator secundum reatum poenæ quæ ad iudicium Dei pertinet, sed non quantum ad reatum poenæ quæ pertinet ad iudicium Ecclesiæ: unde homicida voluntate incurrit reatum poenæ æternæ, sed non irregularitatem, vel excommunicationem, vel aliquid huiusmodi: & similiter dicendum est de simoniaco.

Ad secundum dicendum, quod unumquodque debet diffiniri secundum completum esse suum. Complementum autem peccati, & virtutis consistit in electione, & ideo electio ponitur & in diffinitione virtutis, & in diffinitione peccati; & hanc electionem importat studiosa voluntas.

Ad tertium dicendum, quod aliquid dicitur spirituale dupliciter. Uno modo per essentiam, sicut gratia, & virtutes; & ista non possunt aliquo modo vendi; nec super hoc voluntas deliberata emptionis cadere potest. Alio modo dicitur aliquid spirituale per causam, sicut sacramenta quæ sunt causa gratiæ; & ista, in quantum sunt corporalia quædam, habent speciem quod vendi possunt, quamvis non ex hoc quod sunt spiritualia: & sic in eis committitur simonia.

Ad quartum dicendum, quod Simon Magus spiritualia emere voluit, ut postea venderet: & ideo in ejus emptione etiam venditio continebatur implicite; & propter hoc secundum communem usum loquendi uterque vocatur simoniacus, emens, & vendens; sed tamen, si distincte loqui volumus, ementes dicuntur simoniaci, vendentes Giezi: quia Giezi spiritualia vendere voluit, ut patet IV. Reg. IV.

Ad quintum dicendum, quod spiritualia in prædicta diffinitione accipiuntur, ut dictum est, quæ sunt spiritualis gratiæ causa, sicut sacramenta; sed spiritualibus annexa, quæ ad usum horum sunt deputata sicut calices, & bona ecclesiastica quæ sunt deputata ad usum ministrorum: non autem dicuntur spiritualibus annexa, quibus potest esse usus in spiritualibus, si non sint ad hoc specialiter deputata.

## SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod aliquid attribuitur alteri dupliciter. Uno modo simpliciter, alio modo propter similitudinem actus; sicut dicit Philosophus in VII. Ethic. cap. IV. quod incontinentes quandoque dicuntur intemperati, quia faciunt quæ intemperati, sed non eodem modo; sicut etiam dicit quod Milesii stulti non sunt, sed operantur qualia stulti: & secundum hoc dicendum, quod simoniaci non sunt proprie & per se loquendo hæretici, cum non habeant aliquam falsam opinionem; sed dicuntur hæretici propter similitudinem actus, quia ita operantur ac si æstimarent donum Spiritus Sancti pecunia possideri; quæ æstimatio esset hæretica. Unde Gregorius in Regist. (c) dicit: *Cum omnis avaritia sit idolorum servitus, quisquis hanc in ecclesiasticis dignitatibus dandis non præcavet, infidelitatis perditioni subicitur, etiam si fidem quam negligit, tenere videatur.*

Ad secundum dicendum, quod ratio falsæ æstimationis

F

ma-

mationis quam simoniacus in actu demonstrat, dicitur simonia esse gravior quam Macedonii heresis, qui posuit Spiritum Sanctum esse Patris, & Filii servum. Simoniaci autem ostendunt in suo actu se aestimare quod sit servus hominis, si ab homine potest emi, & vendi. Vel dicendum, quod dicitur gravius peccatum propter pronitatem ad ipsum ex cupiditate humana, & propter nocentiam majus, quia totum ordinem Ecclesie pervertit.

## SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod efficacia sacramentorum non est ex humano merito, & ideo propter hominis peccatum non impeditur sacramentum: unde peccatum simoniae nec sacramentum suscipiendum impedit, nec susceptum tollit. Potest tamen impedire ultimam rem sacramenti, si sit peccatum ex parte recipientis. Sed tamen per simoniam aliquis ab executione ordinis, aut officii suspenditur. Sed in hoc distinguendum est. Quia si dicatur simoniacus ex hoc quod recipit ordinem per simoniam, non recipit executionem, & est ipso jure suspensus & quoad se, & quoad alios: & puniatur ulterius per depositionem, quando constitit de crimine iudici. Si autem dicatur simoniacus, quia contulit ordinem simoniace, vel quia dedit, vel recepit simoniace beneficium, vel quia mediator fuit simoniae; si sit occultum, suspensus est ipso jure quoad se; si autem manifestum est, suspensus est quoad se, & quoad alios. Et iterum ille qui recipit beneficium per simoniam, tenetur ad restitutionem omnium fructuum perceptorum, & beneficio renuntiare.

Ad primum ergo dicendum, quod propter homicidium non fit aliquis defectus in ipsa ordinatione sed in ordinato tantum; & ideo sufficit quod ordinatus sit immunis ab homicidio: sed per simoniam fit defectus in ipsa ordinatione; & ideo etiam si ipse sit immunis, tamen est suspensus, quando ad notitiam ejus devenerit.

Ad secundum dicendum, quod quando est manifestum crimen simoniae, tunc amittit executionem, & suspensus est quoad se, & quoad alios; sed quando est occultum, tunc est suspensus quoad se tantum: & ideo si sit manifestum, secundum quod in jure aliquid dicitur manifestum, tunc nullo modo aliquid debet obedire, nec ab eo ordinem suscipere. Si autem non sit manifestum, si non potest subterfugere, debet obedire, etiam si ipse sciat eum esse simoniacum qui ordines celebrat.

Ad tertium dicendum, quod ipse non intendit emere illud quod est per se spirituale, ut characterem; sed operationem ministri, quae est corporalis, & causa sacramentalis rei spiritualis.

## ARTICULUS II.

*Utrum sacramenta possint emi, & vendi sine simonia.*

*Ubi supra.*

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod sacramenta possint emi, & vendi sine simonia. Quia finis omnium sacramentorum est regnum caelorum, & remissio peccatorum. Sed regnum caelorum emitur, ut Gregorius dicit, hom. v. in

(1) Sine baptismo. (2) Nicolai omittit quotidie, notatque ad marginem: scilicet Alexander III. Praeposito, & Capitulo Insulensi rescribens. (3) Forte speciale.

Evangel. Regnum caelorum tantum valet, quantum habes: & Dan. iv. 24. dicitur: Peccata tua elemosinis redime. Ergo multo fortius sacramenta emi possunt absque vitio simoniae.

2. Praeterea. Matrimonium sacramentum quoddam est. Sed matrimonium aliquando contrahitur interveniente pactioe de aliqua pecunia solvenda sine peccato. Ergo sacramenta licite possunt emi.

3. Praeterea. Baptismus est sacramentum primum. Sed in aliquo casu, scilicet quando sacerdos sine peccato puerum baptizare nollit, aliquis posset emere baptismum sine peccato simoniae, ne puer in aeternum periret (1) a baptismo decedens. Ergo sacramenta possunt emi sine peccato.

4. Praeterea. In Missa conficitur eucharistia, quae est sacramentum sacramentorum. Sed licet cantare Missam pro aliquo pretio, quia nemo debet suis stipendiis militare, ut dicitur I. Corinth. ix. Ergo &c.

5. Praeterea. Extra de praebend. cap. Significatum est, dicitur, quod quidam canonici sacerdoti etiam nam praebendam in Ecclesia dederunt, ut Missam de beata Virgine quotidie celebrarent, & Papa (2) quod die confirmat illam petitionem. Ergo idem quod prius.

6. Praeterea. Absolutio quoddam sacramentale est. Sed quidam accipiunt pecuniam, ut ab excommunicatione absolvant. Ergo &c.

7. Praeterea. Episcopalis potestas, quamvis non sit ordo, tamen quoddam sacramentale est. Sed licet in aliquo casu dare pecuniam, ut ad episcopatum perveniat, sicut cum quis malitiose impedit, ut ab impedimento cesset. Ergo sacramentalia licite vendi possunt.

## QUESTIUNCULA II.

1. Uterius. Videtur quod etiam in emptione, vel venditione aliorum spiritualium non committatur simonia. Quia totum ecclesiasticum officium quoddam spirituale est. Sed quidam recipient certos redditus ad anniversarium celebrandum. Ergo spiritualia possunt sine simonia emi, & vendi.

2. Praeterea. Oratio est maxime spirituale. Sed aliquis potest dare pecuniam bonis viris, ut orent pro eo, secundum illud quod dicitur in Luc. xvi. 9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Ergo &c.

3. Praeterea. I. Reg. ix. dicitur de Saul, & III. Reg. xiiii. de uxore Hieroboam, quod attulerunt pretium Sanctis Prophetis. Sed propheta est (3) spirituale donum Spiritus Sancti. Ergo idem quod prius.

4. Praeterea. Praedicatio est res spiritualis. Sed Paulus praedicabat pro temporalibus, ut fierent collectae pauperibus, ut patet I. Corinth. ult. Ergo &c.

5. Praeterea. Praedicatori licet accipere stipendia pro sua praedicatione, ut patet II. Corinth. ix. Sed Apostolus stipendia nominat ibi temporalia quae praedicatoribus debentur. Ergo licet temporalia pro spiritualibus accipere.

6. Praeterea. Correctio est quid spirituale, & visitatio. Sed praetati pro visitationibus accipiunt temporalia, quidam etiam pro pecunia occultant peccatum quod manifestare tenentur. Ergo &c.

7. Praeterea. Religionis status quoddam bonum spirituale est. Sed in quibusdam monasteriis, praecipue monialium, exigitur aliquid ab eis quae ibi recipi debent. Ergo licet spiritualia dare pro temporalibus.

8. Praeterea. Scientia est quoddam spirituale bonum.

num. Sed licet magistris artium accipere aliquid pro doctrina sua. Ergo &c.

9. Praeterea. Judicium spirituale bonum est, similiter patrocinium in causis, & testimonium ferendum. Sed pro omnibus his potest accipi pecunia, vel munus aliquod. Ergo &c.

## QUESTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod etiam non committatur simonia in venditione eorum, & emptione quae sunt spiritualibus annexa. Nihil enim est magis spiritualibus annexum quam vasa sacra. Sed illa necessitate vendi possunt licite. Ergo &c.

2. Praeterea. Jus sepulturae spiritualibus annexum est. Sed Abraham emit ab Emor speluncam duplicem in sepulturam, cap. xxiiii. Ergo sine simonia emi potest quod est spiritualibus annexum.

3. Praeterea. Jus patronatus est quoddam spirituali annexum. Sed potest sine simonia vendi, quia transit cum universitate, ut Decretalis Alexandri III. Extra de jurepat. dicit, & in feudum concedi potest. Ergo annexum spiritualibus potest licite vendi.

4. Praeterea. Decimae sunt annexae spiritualibus. Sed licet emere eas; quia possunt in feudum laicis concedi, & ab eis redimi. Ergo possunt vendi, & emi annexa spiritualibus.

5. Praeterea. Jus primogeniturae spiritualibus annexum videtur: unde primogeniti ante legem sacerdotis officio fungebantur. Sed Jacob emit jus primogeniturae ab Esau, Gen. xxv. Ergo idem quod prius.

## SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod cum sacramenta contineant, & causent gratiam, non possunt licite vendi, aut emi propter tria. Primo quia dispensator sacramenti non est dominus, sed minister; emptio autem debet fieri a domino rei. Secundo quia pretium emptiois ponitur quasi mensura adaequans illud quod emitur: unde a mensurando numisma dicitur, secundum Philosophum in V. Ethic. cap. viiiii. vel ix. gratia autem non potest commensurari alicui corporali bono: unde injuriam gratiae facit qui sacramenta gratiae vendit, aut emit. Tertio quia gratia ex hoc nomine accipit quod gratis datur: unde contra rationem gratiae facit qui sacramenta gratiae quasi venalia tractat.

Ad primum ergo dicendum, quod locutiones illae sunt metaphoricæ, & per similitudinem de emptione loquentes, ipsum meritum emptionem vocantes: quod quidem emptio non est, quia Deo ex nostro merito nihil accrescit, nec meritum nostrum est aequivalens premio.

Ad secundum dicendum, quod matrimonium non solum est sacramentum, sed etiam naturae officium: & ideo ex illa parte quae est sacramentum, in dispensatione mistorum Ecclesiae consistens, non cadit sub emptione: unde secundum canones committit simoniam qui pro benedictione nubentium pecuniam exigit; sed ex illa parte quae est in officium naturae, nihil prohibet pro matrimonio pretium accipere, vel conditionem de re temporali accipiendam interponere, sicut nec in aliis officiis civilibus, & corporalibus.

Ad tertium dicendum, quod in casu illo debet aliquis emere aquam a sacerdote, & ipsemet puerum baptizare, quia in casu necessitatis licet baptizare etiam mulieri; nec debet aliquo modo pro ipso baptismo sacerdoti pecuniam dare: & similiter esse de

In IV. Sent. Tom. V.

adulto, nisi quando potest differri quousque ad superiorem recurratur, ut ab eo baptismum suscipiat, cui ex officio competit dare.

Ad quartum dicendum, quod facere pactioem de Missa celebranda est simoniacum semper. Si tamen non habet alios sumptus, & non tenetur ex officio Missam cantare, potest accipere denarios, sicut conducti sacerdotes faciunt; non quasi pretium Missae, sed quasi sustentamentum vitae.

Ad quintum dicendum, quod ibi non fuit aliqua pactio, sed illi praebendae annexum fuit illud officium cantandi Missam talem.

Ad sextum dicendum, quod pro absolutione non debet exigi pecunia; sed tamen ei qui absolvitur, potest imponi pecuniaria poena: unde licet aliquid exigere quasi peccati poenam: in quo tamen cavendum est ne talis exactio magis cupiditati quam correctioni adscribatur.

Ad septimum dicendum, quod ibi est distinguendum: quia si non est sibi acquisitum jus per electionem, nullo modo potest pecuniam dare adversario ne desistat; si autem est ei acquisitum jus, potest aliquid dare, non ut pretium praedicationis, sed ut redemptionem vexationis propriae.

## SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod actus aliquis potest spiritualis dici vel quantum ad suum principium quod competit alicui ex aliquo spirituali dono, vel officio; vel quantum ad sui finem quod est quando per actum ad aliquid spirituale pervenitur. In actibus ergo qui primo modo spirituales sunt, quia spirituale est ex parte agentis, nullo modo sine simonia potest aliquis locare actus suos; sed potest aliquid accipere in sustentationem vitae: in secundis autem actibus, quia spiritualitas non est ex parte agentis, potest etiam emere, vel vendere operas suas, sed non vendere hoc spirituale quod ex ejus actu acquiritur.

Ad primum ergo dicendum, quod anniversarium celebrare est spiritualis actus primo modo, & ideo nullo modo licet pacisci pro eo celebrando; si tamen cum devotione aliquid detur Ecclesiae, Ecclesia tenetur celebrare pro illis pro quibus rogatur.

Ad secundum dicendum, quod oratio est spiritualis primo, & secundo modo, quia ex spirituali devotione efficaciam habet, & aliquid spirituale debet in ea fieri: unde nullo modo debet sub pretio poni; nec illi qui dant pecuniam pauperibus, ut pro eis orent, orationem emunt, sed animos pauperum alliciunt ad orandum pro se, & eos sibi faciunt debitores.

Ad tertium dicendum, quod sicut dicit Hieronymus super Michæam, cap. iiii. talia munera exhibebantur Prophetis magis in sustentationem eorum, ut spiritualibus vacarent libere, quam ad emendum munera prophetiae: quia actus prophetiae spirituales sunt primo modo.

Ad quartum dicendum, quod praedicare pro pecunia potest intelligi dupliciter. Uno modo ut pecunia sit pretium praedicationis, & sic nullo modo licet; alio modo ut pecunia datio sit res quaedam praedicationis, & ita potest aliquis praedicare pro pecunia, sicut pro aliis operibus meritoriis, in quantum meretur dans, & sublevatur defectus recipientis: & sic Apostolus pro collectis faciendis praedicavit: non tamen in pecunia collatione ponendus est praedicationis finis.

Ad quintum dicendum, quod stipendia debentur praedicatoribus ad sustentationem victus, ne cogantur relinquere verbum Dei, & circa procuranda sibi ne-